



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Ositha Virgo. 7. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. OSITHA VIRGO. 7. Octobris.

Quantum, ô parentes, educatio præstat! quantum, ô liberi, quibus cum vitam à teneris societis, interest! OSITHA regii sanguinis in Angliâ puella in Parthenone non profano, sed sacro educta, quantum splendoris coronæ Anglicæ conciliavit! Et vero jam tunc prodidit cælum, quàm curæ illi sit juventus probè instituta, & majoribus suis morigera. Missa OSITHA cum libro trans pontem, & turbine ab hoc dejecta, undis hausta credebatur. Sed Angelorum præsidio, tertio die prodit nunquam mergenda innocentia. Sub hæc in thori societatem à rege Sigero invitatur. Sed dum rex venatur feras, virgo ut Cupidinis retia effugeret, binos Episcopos advocat, & ab his velata in Christi nuptiarum numerum transit. Indoluit rex; sed quod Deo nollet rivalis esse, potestatem fecit suo thalamo, in Christi, hoc est cœnobium, transeundi. In hoc ne regiæ sponsæ purpura deesset, ferro à Danis pro fide cæditur. Memoratur verò funus suis non alienis pedibus ambulasse, & caput abscissum ad usque templum extulisse, atque ibi demum, cum manibus templi januam pulsasset, placidè procubuisse. Fuit etiam qui morbo ad extrema deductus OSITHAM in vota

R r 4 vòca-

632 VITÆ SANCTORUM. 8. Octob.
vocavit, vovitque ne moreretur, in Re-
ligioso cætu se vincendum. Convaluit:
sed soteria solvere oblitus vindicem mor-
bum secundum sensit, nec prius manum
iterum O S I T H Æ medicam, quam ob-
jurgatus ab hâc fidem liberaturum se spo-
pondit. Itaque bis voti damnatus tem-
plo & cœnobio anathema, se, dedit.
Ex Surio.

*Vide ne promissum tuum irritum facias,
neque fide tuâ vota disrumpas. Habebis
profecto accusatores prævaricationis tue;
habebis veridicos testes testificantes adver-
sum te; habebis judicem, qui nullius per-
sonam accipit in suæ executione sententiæ.*
S. Laur. Iust. de Cont. mundi c. 19.

S. PELAGIA POENITENS.
8. Octobris.

Vixit PELAGIA Antiochiæ sub
Theodosii Minoris tempora, ob
formæ venustatem corporisque cultum
non jam Veneris serva, sed ipsa Venus
habita, pudor urbis, & castitatis ipsis-
sima pernicies. Quis credat? quæ oculis
captivam post se urbem trahebat, in hanc
oblitum defixisse D. Nonno Antistiti
etiam profuit. Quid enim? (exclamabat
post visum hoc elegantia idolum ille)
quo demùm studio, quo sive temporis
dispendio, sive impendio sumptuum,
hæc faciem comit pingitque? & hoc
cur?